



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

773. Quæ cessiones seu resignationes sint publicandæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

do in specie mentionem de quibusdam personis, de quibus forte suboriri poterat dubium ob singularia eorum privilegia, tenebatur ad publicationem resignationum in sui favorem factarum. Primò Officiales Curia, puta, Auditores Rotæ, Referendarii, Scriptores Apostolici, Abbreviatores, Milites, alique familiares & commensales Papæ. Paris. n. 2. 3. 4. exprimente hoc ipsum Gregorio his verbis: *nostris familiaribus continuis commensalibus, nec non literarum Apostolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, ceterisque*. Secundò Ecclesia Romana Cardinalis juxta expressa Constituit. Gregoriana verba: *& quibuscunque, etiam S. R. E. Cardinalibus ac piis locis, quocunque privilegio suffultis, nec non indultis, privilegiis ac gratiis Apostolicis, etiam predictis Cardinalibus &c.* Azor loc. cit. Paris. à n. 5. Tertiò exempti, propter jam recitatâ generalitatem verborum. Azor loc. cit. Paris. n. 13. & certè, si comprehenduntur Cardinales maximè exempti, & infinita habentes privilegia, multò magis alii exempti inferiores. Paris. cit. n. 13. Et si Papa generaliter aliquid statuendo ligat omnes subditos suos. c. 1. de constit. ligabit quoque qualitercunque exemptos dicta constitutio. Gregorii; cum Papa sit proximus & unicus Exemptorum Superior. c. nulla. dist. 93. & vel hinc exempti magis illi subjiciantur; cum alium Superiorem non habeant. Sarn. de infirm. resign. q. 4. Paris. à n. 14. Quartò Minores, cum quibus dispensatum est per Papam, ut obtinere possint in ea ætate beneficia, tenentur publicare resignata sibi beneficia. Paris. l. 11. q. 4. n. 33. Idque propter verba constituit. Gregoriana omnino generalia. vide de hoc plura infra, ubi, qualiter currat his tempus ad publicandum.

Questio 771. An ergo etiam secundus Resignatarius, v. g. dum Titius resignavit beneficium suum in Cajum, & Cajus iterum in Sempronium, Sempronius teneatur publicare resignationem sibi factam?

Respondeo affirmativè. Idque hodieum (quid quid fuerit aliàs, dum, si primus Resignatarius publicavit, non tenebatur secundus, cui intra tempus ad publicandum datum fuerat à primò resignatum beneficium, ut Paris. cit. q. 4. n. 19.) sive primus Resignatarius publicaverit, sive nondum nimirum is, ut poterat, resignavit (secus tamen videtur, ubi Resignatarius vel alius, qui ad publicandum tenebatur, decessit, ita ut tunc successor non teneatur ad publicandum; quia tunc non obtinuit tanquam vacans per resignationem, sed tanquam vacans per mortem. Ventrigl. to. 2. annot. 4. §. 2. nu. 83. citans Novar. Sum. Bullar. p. 1. tit. de benef. resign. public. nu. 19. Barbof. juris Eccles. l. 3. c. 15. n. 193.) in tempore dato ad publicandum, propter expressa verba constituit. Gregor. quæ sic habent: *pluresque, & quotquot in alium, vel alios cessiones, ac etiam in ipsammet primum resignantem vel cedentem retrocessiones, termino predicto nondum elapso intercesserint, ita ut unicus duntaxat terminas omnibus his successivis cessionibus, ac retrocessionibus decurrat, ut, qui posterius gratiam habuerit, publicationem hujusmodi facere, ceteraque omnia hic præscripta intra eundem terminum prestare teneatur &c.* Azor cit. c. 24. q. 6. Paris. loc. cit. num. 20. Unde jam patet, unum eundemque terminum, v. g. 6. mensium datum ad publicandum currere pluribus, quibus intra eundem idem beneficium resignatur, quod tamen intelli-

gendum videtur, si priores ex his Resignatariis non publicaverint) & nequam singulis illis Resignatariis concedi novum integrum terminum; idque ne aliàs fraus fieret legi, si singulis Resignatariis assignarentur singuli sex menses Paris. n. 20. & 21.

Questio 772. An impetrantes beneficia vacantia ob non factam eorum intra tempus præscriptum resignationem publicationem, teneantur promulgare factam sibi gratiam?

Respondeo: Tenentur illos non secus, ac si per resignationem beneficium illud obtinissent. Azor loc. cit. Paris. cit. q. 4. n. 25. Castrop. de benef. d. 6. p. 2. §. 6. n. 7. Garc. p. 11. c. 3. n. 278. Ventrigl. loc. cit. n. 82. citans Lott. l. 3. q. 21. n. 22. Barbof. juris Eccles. l. 3. c. 15. n. 192. &c. Sic statuente Gregorio hæc expressis: *Et quicumque sic impetrans, aut gratiam, etiam motu simili habens, præsumitur cuicumque casui tempus prædictum à Data concessionis gratie sibi factæ hujusmodi, ac omnia, quæ cadens à jure prædicto debebat, prestare teneatur &c.* Rationem etiam addit Paris. quòd, cum iste per impetrationem factam succedat, & subrogetur in locum istius Resignatarii, & subrogatus sapiat naturam illius, in cuius locum subrogatur, debeat publicare. Et licet, ut Castrop. talia beneficia non videantur obtineri ex resignatione, sed ex vacatione nova, orta ob non factam publicationem, quia tamen resignatio principium dedit, opus adhuc sit publicatione. Jam verò, ut dicitur in eadem constituit. Gregor.; si pluribus gratiam hujusmodi fieri contigerit (hoc est, si plures idem beneficium impetrarint ob non publicationem) is omnibus præferatur, seu præ omnibus obtineat, qui primus publicationem suæ impetrationis fecerit, & possessionem adeptus fuerit, aut petierit, omniàque requisita adimpleverit, quamvis in Data sit postremus, & possessio ab alio in publicando negligentiore prius apprehensa fuerit, vel perita.

Questio 773. Quæ cessiones seu resignationes sint publicandæ?

Respondeo: Cum quæstio hæc admodum generalis sit, nec fortassis uno eodemque responso expediri possit, meliùs eam resolvendam per quæstiones & responsa facta in particulari pro diversitate plurium casuum occurrentium. Unde sit

Questio 774. An resignationes beneficiorum factæ extra Curiam coram locorum Ordinariis publicari debeant?

Respondet affirmativè Azor. loc. cit. q. 5. Castrop. loc. cit. n. 6. Lott. l. 3. q. 21. nu. 9. Paris. l. 11. q. 5. n. 1. Ventrigl. loc. cit. n. 64. & 80. Garc. p. 11. c. 3. n. 282. qui etiam num. 283. subjungit, id procedere, quando Ordinarius de beneficio resignato non providit, de quo quæst. seq. Neque hic nomine Ordinariorum veniunt soli Episcopi, sed & alii inferiores, ad quos spectat beneficia conferre; uti & Superiores, nempe Archiepiscopi, Patriarchæ, Legati de latere, Delegati, Cardinales, non solum jure ordinario beneficiorum resignationes admittentes, sed & ratione indulgentiarum ac facultatum à Sede Apostolica concessarum. Et sic is, cui beneficium coram illis resignatum confertur, intra tempus præscriptum, nempe